

pentino, habitu incedentium, et sub insignis sanctimoniae specioso pallio tectorum, et ad perseverantiam in fide sincera et semel recepta admodum graviter cohortaretur. Eumque in finem operam non perfunctoriam simul navat, ut praejudicia ipsorum animo jam paulatim vel non animadvertentibus insinuata auoliretur, qualia erant *contemptibilitas* personae ejusque *muneris*, 2. Cor. X, 3. *elemosynae* ipsi aliisque collatae 2. Cor. VIII, 8. XI, 9. 12. 13. & si quae porro in speciem veritatis excogitari poterant: quae omnia Apologia admodum gravi et pia ex dictamine Spiritus Sancti procul omni odio, affectuumque raptu diluit in hoc praesertim et sequenti capite, et ostendit in hoc momento praecipuam a se gloriam reponi, quod per Christi opem veritatem evangelii inter tot hostium insultus nihilominus imperterritito animo et ore profiteatur.

V.

Addit vero in nostro oraculo non praeter rem Apostolus suae sollicitudinis documentum satis evidens, quando in memoriam revocat Corinthiis tum *praestantiam status* praesentis in quo versentur, tum *facilitatem illum amittendi*; Status ille praesens erat *ἀπλότης ἢ εἰς τὸν χριστὸν*: **SIMPLICITAS** quae est erga Christum. Nonnisi consequenter *moralem simplicitatem* hic intelligendam esse sagacior oculus probe animadvertet: Ista enim virtus, quae in sinceritate et candore vitae morumque consistit, tanquam effectum nobilem nobiliorem causam adhuc agnoscere debet. Quenam vero est illa? Non alia certe, quam **FIDES** tum *quam credebant* Corinthi, tum *qua credebant*. Nisi enim ex isto fonte promanet integritas vitae, impositum est aedificium arenae, non petrae *Matt. VII, 26.* (qui locus hic probe expendendus est, ostendit enim veros fructus ex sola veritate fidei et doctrinae purae provenire) cum